IOANNIS BAPTISTÆ PINELLI GENUENSIS, IN NUPTIAS SERENISSIMORUM HETRURIÆ...


Giovanni Battista Pinelli

IOANNIS BAPTISTAE PINELLI GENVENSIS,

IN NVPTIAS SERENISSIMORVM HETRVRIAE PRINCIPVM,

COSMI MEDICES, ET MARIAE MAGDALENAE AVSTRIACAE,

ODAE III.



Florentiæ, Typis Volcmari Timani Germani. 1608.

IN NVPTIAS SERENISSIMORVM HETRVRIAE PRINCIPVM, COSMI MEDICES, ET MARIAE MAGDALENAE AVSTRIACAE,

ODE PRIMA.





OTIVA in æuum lege silentij
Damnasse neruos quid citharæ iuuat;
Si carminum plectro fugaces
Tela uerum iacienda in horas
Dircææ certè non sine virium
Mirè potenti numine tam grauem
Nostro impari molem repentè
Crediderim incubuisse dorso.

Quare ô capillos, ô oculos nigra,
Clio, per aures insipientium
Minus sonantes, e pharêtra
Elicias rapidè sagittas;
Et clara pingues inter Hetruriæ
Quà Flora campos subleuat ardua
Murorum, inexcindenda Marte
Fulmineo, iaculare dium
FERNANDI asylum, principis inclyti,
Qui, peruicacis nobile Porsenæ
Quàcunq; se porrexit olim
Regnum, habet arbitrio vnus æquo.
Eius videri vt fulgida & ingenî, &
Virtutum, & auri regia propriis
Gazis; eòq; imis amica vt
Gentibus, & superûm colonis!
Illinc canendi materies tuis
Immensa largis fontibus ingruit,
O Musa. Dextra illuc Tonantis
Transtulit egregium quod vsquàm.

Nimirùm

Nimirùm in eius principe liberùm
AEtate mens, & lingua valentior
Longè subest, latosq; campos
Per Sophiæ volitare tendit.
Non ille pronus deterioribus,
Sumit secunda è sorte superbiæ
Fastidiosum: at visu, & ore
Dulcè apices, populiq; fæcem
Dignatur æquè. nempè animus sedet
Ciuilis illi, ingentibus haud licet
Sit rebus impar, & parentis
Eleuet haud modicùm labores;
Et fasce vt vno cuncta legam, illius
In corde quicquid concipitur boni
Totum per orbem, vt sede auita,
Gliscit. Inocciduùm micabunt
Præclara vestræ sidera gloriæ
O COSME, patris germen amabile;
Atquì tenus Virtutis ipso
Cardine agunt breuiore gyro.

Fora-

Fortunæ ob isthuc, in quam aleris, capax,
Quando è paternis consilijs tuæ
Menti sat adiectum, cupido
Te sobolis generosa tangat.
Nati ra vitæ cælibi vt intonet,
Vides, propagans secla animantium, &
Plantasque compellens virentes
Fronde nouos aperire foetus.
Maiore multò sollicitudinum
Sublimiores mole decet viros,
Quæsisse per prolem perenne
Nominis auxdiumque gentis.
Huc mente vergas, Sponsa tibi en adest,
Demissa summo Stirie ab arbitro,
Quem foeta gens produxit almis
AVSTRIACA imperijs in auras.
Illustrè quantùm CAROLVS hic tuus
Per vasta mundi, COSME, socer nitet,
Cui nunc Iber, cui nunc, & olim
Sarmata rex gener! Aspice ergo,

Tanto

Tanto illigatus coniugio, nouæ
Nuptæ inuidendo e sanguine ut excubet
Deducta maiestas in ore,
Vernat ubi rosa, ubi ligustrum.
Quamquàm illa caris rapta penatibus,
Et matre cessit, flebiliter dolens:
Tædasque culpauit maritas,
Questa aliud subitura cælum:
Suspiret ut te, ut te tamen ardeat,
Iam mancipatum & cor tibi dedicet,
Tecum uolutas uerteritq;
Cuncta ut Hymen face nuptiali.
Spem prolis amplæ quò minus inchoes
Nil intueri est, quod vetet. omnia
Consentiunt. firmata lustris
Iam quatuor tibi ridet ætas:
Ridet iuuentas prospera, nec potens
Fæcunditatis deest patrius uigor.
Te præter hæc per celsa montis,
Per frutices, per aperta campi,

Ru-

Rumor volantes trudere callidum,
Teliq; iactu figere ait feras:
Frænisq; mansuetos equorum
Te domitos fieri magistro.



ODE SECVNDA.

AVrora quicquid purpurea manu
Hoc manè latè dispulit, en vice
Amantibus grata redonat
Hesperus exoriens Olympo.
Iàm tempus vrget, pronuba, ne dapes,
Ne te retardent ludicra serius:
Deduc puellarum uisorem
AVSTRIADVM in geniale lecti.
Miscere COSMVS prœlia cùm noua.
Gestit marita, vulnere saucius
Non indecoro, & te quietis
Increpat impatiens. eodem

Quis

Quin tacita voto, te manet, aureum
Vt sidus, ardens sponsa. Quid est mora?
Num forsan expectas, coruscet
Pinea dum facula, & potenti
Sit delibutum liminis vnguine
Latum, angulorum & quolibet efficax
Vel scylla dependens, vel alba
Spina metum excutiat cubili,
Ne saga diro murmure carminis
Formidolosi perniciem tonet?
Nil lenta cesses, surge mensa, &
Mitte superuacuum timorem.
Plenum vetusti moris, & integrum
Vis nulla par hoc, nullaq; nænia,
Cantata Marsis, Thessalisue
Pestibus, impulerit nocendo.
Deducis? an me ludit imaginis
Vanum? illa verè incedit, & aspici
Formosior prisca Diones
Progenie, pretiosioris

Quæ vecta conchæ remige, Cypriꝭ
Innauit vndis, gaudia detegit
Læto verecundoque vultu,
Quæ sibi sollicitant medullas.
Hymen, tuum, Hymen, insuperabile,
Mirumque robur. Virgo, amaracinas
Paulò ante quæ exosa & corollas,
Flámmeaq́; , & rutilos ab auro
Soccos, tuorum & coetera munerum,
Nunc toto multum pectore combibit
Flammas, tua ardescens ab imo
Quas placide vomit AEtna fundos
Nunc sponsa lentis regia brachijs
Ceruici adhærens coniugis, & sui
Effusa MAGDALENA in vnas
Dulcibus imbuitur venenis ,
Quæ temperato vergere poculo
Sinuit voluptas criminis inscias
Quæq́; ægrius natura lege
Non patitur potiore plecti.

Hoc,

Hoc, hoc iniquè haud cesſit. Idonea
Quis colligari hac compede neſciat
Regna orbis Europæa? Et impar
Non erat, ulteriore meta
Nodum hunc, futurum coeli Itali decus,
Longinquius per curriculum trahi?
Tantam & puellam ultrà morari
Ferre pedem MEDICAEAM in aulam?



ODE TERTIA

NOn, COSME, circà, non tibi pectoris
Mite, ære vinctà ſtat triplici ſilex;
Nec te ſub Afro pauit antro
Prima ferens alimenta tigris.
Hinc ludum amori ne dederis catus
Ultrà. Feroces ille animos domat;
Interq; pugnacem puellas
Lina colu atteruiſſe gaudet.

Prudenter illi tu quoq; da manus;
Ferre & subacto ponderis innocens
Condisce collo; numinisq;
Redde iecur faculæ obligatum.
O quale germen virgineum tibi
Demisit ingens AVSTRIADVM *domus!*
O pulchra, virtutumq; summis
Floribus vt tibi nupta fulget
Conspersa! Thuscis illa triremibus
An cùm per vndas Hadriaci sinus
Paulò antè vecta est, nonne Thetis
Gurgite ab æquoreo decentes
Exerta vultus, textilibus leui ex
Alga canistris dona corallinæ
Illi obtulit stirpis, nec vllas
Obsequij tenuauit artes,
Cultum insolentem præpete remigum
Mirante turba? Hæc, H · Heliconijs
Sublimè vectari, & rubentis
Hospitium per vtrumq; Phœbi,

Vertentis

Vertentis æui in plurima sæcula,
Digna vsq; cygnis copulæ concini!
Digna vsq; cui regale pontus
Deferat, & diadema tellus!
Quàm longa auorum! quantaq; prænitet
Vtrinque bellis, & series toga!
Quot legibus frænauit vrbes!
Quot violens populos subegit!
Permagna rerum tu quoq; dirige
Ad famam, & omnes crede potentias
Olim emori; atq; heroas omnes,
Quò populi lutulenta, cogi.
Hinc posteros, hinc cogita auos tuos;
Quodcunq; agendum sumpseris, & tibi
Nil principem continget infrà
Efficere. Intereà parentis
Chios, Cyprusq;, & te, malè barbarò
Defensa ab arcu, sentiat æmulum
Hippone, & infames latronum
Dissyce, sepositasq; sedes.

Et

Et recta morum vi, COSME, perambulas,
Mores regendi in mole magis sciens,
Quàm pœna formidata legum,
Principis eximios valere;
Atq; vt tuorum cor popularium
Sunt caritatis vincla adamantina;
(Hos namq; conquirendus inter
Æque amor, ac metus inter hostes:)
Sic nulla nubes te teget inuidæ,
Obliuionis, donec agent dies
Noctesq; seclorum incitatos
Vi rapida stimulante cursus.

FLORENTIAE,

Typis Volcmari Timani Germani 1608.

